

John of Šlupca*¹

Manuscript: BJ Acc. 67/54, f. 151r-153v

Alius sermo de eodem.

[Thema] *Ecce sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo*, Eccli XLIIIo. [,16]
[interpolated with Eccli 50,1]

[Introductio] Dicit Fulgencius: In verbis Domini *tamquam ditissimis ferculis est copia celestium deliciarum, ut in eis abundet quod etiam parvulus sugat. Ibi enim invenitur ferculum ut lac, quo tenera fidelium nutriatur infancia. Ibi et solidus invenitur cibus, quo robusta perfectorum iuventus sancte virtutis accipiat incrementa. Ibi invenitur, quod omni etati congruat. Ibi prorsus consulitur universis quos Dominus salvare dignatur. Ibi est quod omni professioni conveniat.*²

Hinc est, quod fideles predicatorum qualiter audientium verbum Dei sollicitate pensantes, secundum statum et condicionem singulorum, alimenta vite et sancte predicacionis pabulum administrant. Quos beatus Gregorius instruit dicens:³ *Non una eademque exhortacio cunctis congruit, quia nec cunctos par morum qualitas astringit. Nam quedam aliis obsunt⁴, aliis prosunt, quia sunt plerumque herbe, quarum alie nutriunt, alie occidunt, et medicamentum quod [f. 151v] uni morbum minuit, alii vires auget. Et panis qui vitam forcium roborat, parvulorum necat. Pro qualitate igitur auditorum formari debet sermo doctorum.*

Unde aliter loquimur peccatoribus, aliter perfectionem attingentibus, quam diversitatem sacra scriptura copiose predicatoribus administrat.

Unde peccatoribus dicitur Thob. XIII [, 8]: *Convertimini peccatores et facite iusticiam coram Deo.*

Penitentibus vero dicitur Isaie XLIII [, 25]: *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas.*

Proficientibus vero dicitur illud Eccl. [9, 10] *Quodcumque potest manus tua instanter operare. Cuilibet etiam ostenditur iste sanctus utinam ad exemplum eius sanctitatis proficiant in vita sua.*

Conantibus autem ad perfectionem dicitur illud Luce VI [, 36, cf.]: *Estote perfecti sicut et Pater vester celestis perfectus est.*⁵

Obmissis aliis, de proficientibus hic intenditur quibus sanctus iste sub magnitudine sua proponitur, ut discant sancti et magni fieri sicut ipse.

[Divisio thematis] In verbis igitur propositis **tria** intelliguntur:

<1> **Primo** enim magnus iste pontifex demonstratur, cum dicitur: *Ecce sacerdos.*

<2> **Secundo** demonstratus commendatur, cum dicitur: *sacerdos magnus.*

<3> **Tercio** commendatus probatur, cum subditur: *qui in diebus suis placuit Deo.*

Hec per ordinem proseguendo <1> sciendum, quod res demonstrabiles solent triplici de causa demonstrari, ut videlicet ex demonstratis rebus provocemur, provocati informemur, informati imitemur.

Ex hac triplici causa iste magnus sacerdos est nobis per hoc adverbium “ecce” demonstratus:

¹ Sermon no. XXXV in Kuzmová, *Preaching Saint Stanislaus*.

² tamquam... conveniat.] Cf. Fulgencius Ruspensis, “Sermo primus De dispensatoribus Domini,” in *Sermones*, PL 65, col. 721.

³ Non una... doctorum.] Cf. Gregorius I, *Regula pastoralis*, pars tertia, prologus, PL 77, col. 49.

⁴ officunt ed.

⁵ *Estote ergo misericordes sicut et Pater vester misericors est.* Cf. Mt 5, 48.

<1.1> **Primo**, ut cum ipse homo similis nobis passibilis, magnus factus fuerit, provocemur ad eius exemplum, ut et nos magni fieri studeamus. Tales iam provocati, illud Petri Act X [, 34]: *Non est acceptor personarum Deus*, sed in omni gente qui timet Deum et operatur [152r] iusticiam acceptus est illi. Nec enim amplius illi debuit quam nobis, nec minus nobis exhibet quam illi, si tamen fideles fuerimus inquirendo.

<1.2> **Secundo** nobis demonstratus commendatur, ut provocati per exemplum eius informemur, quibus exercitiis possimus magni fieri sicut ipse. Hinc Exodi XXI [25, 40] dicitur: *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte*. Hinc Gregorius: *Unicuique electo ad sumendam vivendi regulam patrum precedencium exempla monstrantur, ut ex illorum vita consideret, quid in actibus suis servet*⁶ et moribus. Qui ergo preceptis non attendunt, saltem exemplis provocentur, ut nihil sibi difficile estiment, quod in aliis peragi vident.

<1.3> **Tercio** iste pontifex demonstratur nobis, ut provocati et informati, ipsum efficaciter imitemur, prout in tercio membro lucide patebit. **Et tantum de primo.**

<2> **De secundo** scilicet: *Sacerdos magnus*; in quo iste pontifex a magnitudine commendatur. Habuit autem triplicem magnitudinem, scilicet <2.1> vite sanctitatem, <2.2> intercessionis potestatem, et <2.3> miraculorum claritatem.

<2.1> De primo potest sumi illud Gen XXVI [26, 13]: *Ibat proficiens atque succrescens, donec vehementer magnus effectus est*.

<2.2> De secundo potest sumi illud IIII^{ti} [2] Reg V [, 1]: *Erat vir magnus et potens apud Dominum suum et honoratus*.

<2.3> De tercio patet in legenda sua, quod usque ad hanc diem signis et virtutibus subvenit universis.

<3> **De tercio principali**, in quo eius magnitudo probatur in eo quod subiungitur *qui in diebus suis placuit Deo*, etc. In quibus verbis ponuntur tres particule, scilicet <3.1> Dei complacencia, <3.2> eius iusticia, et <3.3> reconciliacionis gracia; que quia in ipso confluxerunt, ideo ipsum magnum fecerunt.

Nunc ergo verba hec ad nostram edificacionem convertamus, differentes et docentes, [152v] quibus exercitiis et nos magni apud Deum fieri valeamus. Ad hoc enim iste gloriosus pontifex sub sua magnitudine nobis ponitur in exemplum, ut ex sua magnitudine commoniti discamus magni fieri apud Deum; peccatores enim commoventur, ut infernum fugiant; penitentes, ut ad regnum celorum perveniant; boni, ut in magnitudine proficiant.

Quod si decreverimus faciendum, **tres particulas predictas, scilicet complacenciam, iusticiam, et reconciliacionis gratiam assumamus**, incipientes a <3.1> **prima, scilicet complacencia**, et inquirentes sollicite, quibus Deo placere valeamus.

Primo igitur sciendum, quod pre ceteris tria placent Deo, que ex persona sua propria nobis proponit ita dicens, Eccli XXI [25, 1-2]: *In tribus beneplacitum est spiritui meo, que sunt probata coram Deo et hominibus*, scilicet <3.1.1> **concordia fratrum**, <3.1.2> **vir et mulier consencientes**, et <3.1.3> **amor proximorum**; que tria si vite nostre inseremus, Deo per omnia complacebimus.

<3.1.1> Sunt autem **fratres** omnes sensus et omnia corporis membra, pariter et affectiones, potencie et virtutes anime. Ex affinitate quam habent ad invicem ‘fratres’ iusto nomine appellantur, quos tunc ad concordiam reducimus, quando ex nostra diligencia et conatu omnes Deo concorditer obsequuntur, ita ut devocio dicat omnibus illud Iudicum XII [9, 48]:⁷ *Quod me videtis facere, omnes facite*, quod cum factum fuerit, valde subito proficimus, sicut in adverso valde deficimus, cum dissensiones et scismata in nobis fuerunt, quia quantum in una

⁶ Unicuique... servet] Cf. Gregorius I, *Moralia*, Liber 28, Caput 11, PL 76, col. 463.

⁷ *Quod me videtis facere, cito facite.*

parte proficimus, tantum in parte altera retardamur, sicut Ecclesiasticus XXXIII [34, 29. 28] dicitur: *Unus orans et alius maledicens, cuius vocem exaudit Deus? Unus edificans et alius destruens, quid prodest nisi labor?* Et ideo Apostolus ait 1 Cor. primo [1, 10]: *Non sint in vobis scismata*, quia ut ait Gregorius: [153r] *Quid prodest, si contra hostium insidias, tota pene civitas custoditur caute, unum autem foramen apertum relinquitur, per quod ab hostibus capiatur?*⁸ Et subiungit idem: *Qui ergo Deo perfecte placere desiderat, nil sibi penitus de se relinquat*, factus sibi totus tamquam vas perditum et sicut mortuus a corde.

<3.1.2> **Secundum**, quod de nobis Deo pre ceteris placet, est **vir et mulier** bene invicem consencientes. Quid per virum nisi spiritus, per mulierem autem caro intelligitur, qui tunc bene consenciant, quando caro ancillatur et spiritus dominatur, quando caro rationi se subiicit et spiritus semper precipit, quia caro ad serviendum spiritui data est.

<3.1.3> **Tercium**, quod pre ceteris Deo placet, est **amor proximorum**. Ipse enim omnino statuit hominem sine crimine. Hic amor facit tria bona, sine quibus non est salus. Nam per amorem proximi malum declinatur, bonum operatur, sine eo, scilicet amore, nihil de nobis a Domino acceptatur et omne quod agimus cum dilectione proximi a Domino grater acceptatur. De primo dicit Apostolus [Rom 13, 10]: *Dilectio proximi malum non operatur*; de secundo idem [Rom 13, 10]: *Plenitudo legis est dilectio*; de tercio Cor. VIII [1 Cor 13, 1]: *Si linguis hominum loquar, et angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut es sonans aut cymbalum tinniens* etc.

Qui ergo predicta tria Deo exhibuerit, per omnia placet Deo. Nullum enim bonum facere possumus, nisi prius boni fuerimus. Non enim Abel placuit Deo ex munere, sed munus ex Abel. Et sciendum, quod postquam ceperimus placere Deo, omnia que sunt in celo et in terra bona et mala promovent nos, ut amplius placeamus; hinc Prover. XVI [, 7]: *Cum placuerint Domino vie hominis, inimicos illius convertit ad pacem*.

<3.2> **Secundum** quod nos magnos efficit apud Deum **est iusticia**. Sicut enim iste confessor ideo magnus predicatur, quia inventus [153v] est iustus sic et nos iusticia facit magnos. Hec autem iusticia, ut ait Augustinus, est virtus generalis complectens totius anime rectitudinem, que duobus adimpletur modis, ut que prohibita sunt a Deo, non faciamus, et que precepta sunt, compleamus. Item bene describit eam sic: *Iusticia est virtus reddens unicuique quod suum est*.

<3.2.1> Reddamus ergo superiori scilicet Deo, quod suum est, scilicet reverenciam, ut in omni loco, omni tempore erubescamus facere mala, tanquam stemus in presencia sue maiestatis. Sic enim estimabant se facere prophete cum frequenter dicerent: *Vivit Dominus in cuius conspectu sto*.⁹

<3.2.2> Secundo reddamus proximo equalitatem, id est benivolenciam, ut semper sumus ei consilii et auxilii debitores.

<3.2.3> Inferiori, id est corpori, reddamus custodiam, ne malum faciat, et disciplinam, ut si faciat, diluat.

Facientes enim sic iusticiam a Domino sanctificantur, Math. V [, 6]: *Beati qui esuriunt et sitiunt iusticiam*. Quodsi beati, utique sanctificati. Item regno Dei premiantur; Ps [14, 1.2] *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Respondet: *Qui ingreditur sine macula et operatur iusticiam*. Et quia tanta bona Dominus contulit facientibus iusticiam, ideo consulitur nobis Ecclesiasticus IIII [4, 33]: *Agonizare pro iusticia usque ad mortem*.

<3.3> **Tercium** quod nos magnos efficit **est reconciliacionis gracia**, et est quando aliquis anihilans singulare meritum, non solum suam salvat animam, sed eciam pro aliorum salute

⁸ Quid prodest... capiatur.] Cf. Gregorius I, *Homiliae in Ezechielem prophetam*, Liber 1, Homilia 7, PL 76, col. 843.

⁹ Cf. 3 Rg 17,1: *Vivit Dominus Israel, in cuius conspectu sto*... Cf. 1 Rg 29,6; 4 Rg 3,14.

sollicitus est apud Deum, qui etiam hominum detrimenta luget tamquam sua et similiter gaudet de bonis tamquam suis. Ista est ergo reconciliatio nobilis, que ire Dei obviat, ut ait Gregorius, et intercessionibus suis prout Deum habet sibi adiutorem, alios ad eternam pacem perducit. Cuius nos participes facere dignetur Iesus Christus Dominus Deus noster per secula et in eternum benedictus. Amen.